DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

RHEUMATISMO;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS MURPHY,
HIBERNUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

JACOBO RYAN, ARMIGERO, M. D.

DE *JUBILEE-HALL*,

IN COMITATU WICKLOW;

DISSERTATIONEM HANC MEDICAM,

VETERIS AMICITIÆ

PIGNUS,

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

Corporis temperies variis ex causis mutata, et præsertim si hoc occurrat cum labore, exercitio, vel ignibus nimium calefacti subito frigori externo exponamur, obnoxios nos reddit multis et gravibus morbis,—pneumoniæ, ophthalmiæ, erysipelati, catarrho, rheumatismo, aliisque non paucis.

Inter hos vix ullus sæpius nos adoritur, vel plus post impetum infestat, quam Rheumatismus; non-

nunquam per menses durans, omnes artus, articulos, dorsum, pectus, caput, nunc unam nunc aliam partem occupans, immanibus doloribus torquet, non raro etiam miseros quos cruciarat subito trucidat, cerebrum vel cor invadens, et persæpe articulorum quorundam usu spoliatos paulisper solummodo vix relinquit, iterum non longum post tempus levissimis ex causis rediturus.

Cum tantus morbus sit, merito medicorum curam sibi vindicavit Rheumatismus.

Ab antiquis vix ullas de hoc morbo disquisitiones habemus; sed nonnulli magni nominis sæculi postremi et anterioris medici, Ballonius, Sydenhamus, Boerhaevius, Pringle, de eo tractando monita multa notabilia tradidere. Necnon ex nuperis varii eodem in campo laborantes, Cullenus, Heberden, Fordyce, Haygarth, Darwin, studio methodum huic morbo sanando idoneam inveniendi, laudem magnam meruere. Mihi eodem in cursu nitenti, si accidat ut quicquid utile proferam, vel si aliorum animos ad hunc morbum magis attentos efficere possim, laborem a me haud frustra impensum habebo.

DEFINITIO.

Definitio Rheumatismi optima a Nosologia Cel. Culleni sumatur. Morbum hunc ille duas in species divisit, Acutam et Chronicam, et prioris his verbis definitionem dedit: "Morbus ab externa et plerumque evidente causa, pyrexia, dolor circum articulos, musculorum tractus sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos infestans, calore externo auctus."

Chronici Rheumatismi etiam, nomine Arthrodyniæ, definitionem sequentem dedit: "Post rheumatismum nisum violentem vel sublaxationem, dolores artuum vel musculorum, sub motu præsertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti, vel alio externo levati, artus debiles, rigidi, facile et sæpe sponte frigescentes, pyrexia nulla, tumor plerumque nullus."

Addit, "Lumbago et ischias aliquando morbi acuti, sed cum sæpius chronici sint, plerumque ad

hunc locum pertinent;" quinetiam, " Arthrodyniam acuti rheumatismi sequelam esse" dicit.

HISTORIA MORBI.

Rheumatismus rarissime apparet regionibus in calidis. Cutis ibi degentium pertransilis est multum plus quam nobiscum occurrit, et raro tamdiu a frigore afficitur ut multum incommodi exinde oriatur: præterea temperies aëris tam alta ibi est, ut si paululum paucas in horas suppressa fuerit exhalatio per cutem, et hoc nonnunquam aëri nocturno incaute expositis accidat, calor diei sequentis satis superque cutem solveret; et si ullus morbus, non rheumatismus, sed febris cujusdam alius generis vel hepatitis, talem incuriam sequeretur.

Sed hisce in regionibus frequentissimus morbus est. Omni anni tempestate apparet, præsertim vere et autumno: non solet multum sese ostendere cum frigus hyemis permagnum sit, nec cum calor æstatis fervidus existat.

Usitatius juvenes utriusque sexus aggreditur ab anno illorum ætatis quindecimo ad trigesimum quintum; sed senibus non parcit, et liberos etiam juniores nonnunquam magnopere affligit.

Sæpe incipit cum rigore et horrore: hos cito excipiunt calor, inquietudo, sitis, anorexia et reliquæ febris symptomata; facies nonnullis multum rubet: elapso die unico vel altero, vel sæpe paucis solummodo horis, æger atrocibus doloribus per totum corpus nunc in hoc nunc in illo loco infestatur. Circum articulos in carpis, humeris, coxa, genubus præsertim, maxime sæviunt dolores, ita ut ne minimum quidem vel pes, vel manus, vel digitus, sine dolore et clamore moveri possit.

A loco ad locum morbus mutans, nunc unius artus partem nunc alius affligit, vicissim hos relinquens et illos occupans; rubore et tumore in parte quam postremum affecit adhuc residuis.

Caloris et tensionis magnæ et aculeorum sensus locis dolore affectis adest; nonnunquam nec tumor nec rubor partis affectæ adest, sed dolor tactu etiam levi auctus, dolores quidem noctu exacerbantur, nec dormire queunt ægri, partim

quia moveri loco nequeunt, et quo statu fere primo jacent et decumbunt, in eo manent et sine cruciatu vel vehemente dolore vix moventur vel attinguntur.

Febris raro adest cum loco uni affixus sit Rheumatismus; sed cum doloribus urgeantur plures corporis partes, tunc satis alte ardet.

Facies usitatius rubet. Pulsus frequens, nonnunquam durus adest. Urina coloris rubri est, et in principio morbi nullum, sed morbo progrediente, copiosum et lateritium sedimentum deponit. Sudores crebri erumpunt, sed non levamen ferentes. Magnus corporis calor adest.

Nonnunquam pyrexiam præcedunt dolores in qualibet corporis parte; his adduntur alii, et tunc oritur febris. Cullenus dicit febrem quolibet vespere intendi, magisque sævire per noctem, tuncque dolores atrociores fieri, et eodem tempore mutationes dolorum a loco ad locum sæpius accidere. Hoc efficiatur corpore nimia copia stragulorum calefacto, quod per noctem nonnullis hac ex causa occurrere solet.

Sanguis detractus in Rheumatismo crustula coriacea semper obtegitur, et utut sæpe repetatur

venæsectio eandem crustulam coriaceam semper ostenderet, etiam ad ultimam sanguinis guttulam, quæ citra mortem mitti posset.

Cum ita longum per tempus, nonnunquam per plures septimanas sævierit morbus, tandem mitescere incipit.

Febris, aliaque symptomata paulatim decrescunt, et tandem penitus integer ægrotans relinquitur.

Sed non ita benigne Rheumatismus abscedere solet semper post gravem impetum.

Aliquando doloribus subito in artubus vel qualibet alia corporis parte cessantibus, morbus vitalem quamlibet partem invadit, et cor, cerebrum, pulmones vel stomachum occupans, cito in maximum vitæ periculum ægrotum jacit. Cum hoc occurrat, metastasis, vel translatio rheumaticæ affectionis loci prius dolentis ad alium a morbo laborantem, accidisse dicitur. Symptoma hoc maxime exitiale est, nam si non morbum a loco vitali affecto depellere valeamus, mors subita usitatius ingruet. Hic casus dirus, etsi rarus sit, tamen nunc et iterum occurrit, semperque metuendus est in Rheumatismi acuti impetu.

In Rheumatismo, metastasis in cor, sæpius quam in alium locum vitalem, fieri solet. Si exinde modica tantum oriatur anxietas, artuum dolores forsitan non penitus cessant, sed si magna anxietas metastasin sequatur, usitatius dolores artuum ex integro disparent. Tunc omnia carditidis symptomata horrenda oriuntur. Cor tanto robore micat, ut pulsus ictus facile nonnunquam memorentur, motus strangulorum observando. Pulsationes ad carpum debiles sint, etiam dum cor sic fortiter laborat; pulsus nunc celer, nunc lentus sit; dolor magnus, multum inspiratione auctus, tussis, dyspnœa, maximaque inquietudo, adsunt. Nonnulli de vertigine, tinnitu aurium, alii de sibilatione in capite, conqueruntur; aliis nausea, vomitus, et delirium adsunt. In nonnullis rheumaticis phrenitide, vel coma correptis, caput post mortem a signis morbi liberum inventum fuit, dum inflammationis signa magna corde apparuere.

Aliquando Rheumatismus totas vires unum circiter locum figit; si hoc occurrat in lumbis, dirus morbus Lumbago audiens oritur. Hac varietate Rheumatismi celeberrimus BOERHAEVI-

us correptus fuit; et quum optime dehinc discamus quantos cuaciatus Rheumatismus sæpe inducat, et quam difficile fuit, etiam illi tam præclaro medico, hunc morbum amovere; et præterea, quod hic morbus aliquando alios mentiatur, pauca ex historia sumpta, quam ipse de suis doloribus, cum Rheumatismo laborarat, medicinæ studiosis auditoribus suis dare solebat, hic addam.

Hic summo mane, circa medium mensis Augusti, observationibus in Horto Botanico faciendis occupatus, dolorem sensit quasi nephriticum. Dolor a renis sinistri regione incipiens, secundum decursum ureteris ad os pubis usque, tanta cum vehementia pergebat, ut credens calculum de rene per ureterem in vesicam descendere, quod et magis verisimile faciebat ad vomitum propensio; utebatur copia decocti lini seminum, cujus usu sperabat, lubricatis viis, ut calculus exiret. Oriebatur ingens tenesmus, ita ut calculus præsens esse videbatur. Paulo post aberat omnis dolor, sed sequente die immanis aderat in lumbis, qui duravit per tres menses eadem vehementia.

Postquam paululum remittere incipiebat illud tormentum. Evolvens auctores, invenit SYDENHAMUM illa notasse quæ passus fuerat, reliquos vix quid bonæ frugis dixisse, et illum de Rheumatismo agentem sequentia habere: "Est et alia hujus morbi species, licet non hujus prosapiæ vulgo credatur, quæ Lumbago Rheumatica aptissime dicetur; immanis dolor scilicet idemque fixus circa lumborum regionem, ipsumque aliquando ad os sacrum se demittens, paroxysmum nephriticum mentitur, nisi quod æger non vomituriat; nam præter dolorem atrocissimum et vix ferendum, circa ipsos renes, aliquando et ureteres per omnem eorum ductum ad vesicam usque, eodem licet mitiori tentantur, qui et mihi olim imposuit, tanquam a materia aliqua sabulosa in iis partibus hærente, penderet; cum revera materiæ Rheumatismi peccanti et inflammatæ ortum suum debeat; quæ quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore."

Nonnunquam Pleuritidem æmulatur Rheumatismus: dolor valde acutus in latere, pulsus frequentissimus, calor auctus et sitis magna adsunt; et præterea tantum tusse crebra agitatur æger, ut

maxime difficile sit distinguere an Pleuritide vel Rheumatismo laboret.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Maxime proni ad Rheumatismum sunt ii qui temperamento sanguineo gaudent: Hi cutem subrubram teneram habent, et illis sæpissime hæmorrhagiæ occurrere solent; iique quorum corpora victu lauto, luxurioso, nimis mobilia facta sunt, facillime hoc morbo afficiuntur.

In nonnullis diathesis quædam hæreditaria in hunc morbum adesse videtur; dicit Heberden Rheumatismo valde gravi nonnunquam liberos arthriticorum parvulos affici.

Situs frigidus, humidus, in quo aër non satis agitatur vel renovatur, sæpissime fundamentum ponit Rheumatismo pessimæ formæ.

Nonnunquam a morbis febrilibus convalescentes levissimis ex causis Rheumatismo corripiuntur, et idem iis sæpe occurrit, quibus necesse fuerat hydrargyro magna copia uti.

CAUSÆ EXCITANTES.

Nulla causa frequentior vel validior Rheumatismi existit, quam frigus corpori calefacto subito admissum. Sydenhamus dicit, "Hac ut plurimum occasione nascitur, æger scilicet sive exercitio aliquo vehementiore, sive alio modo, excalefactus, mox repentinum frigus admisit. Boerhaavius eximius causam morbi quo ipse correptus erat rheumatici, his verbis dedit: "Lecti tepore relaxata corporis spiramenta ante lucano frigori et penetrabili irrigui roris humori exponens, vitam fere perdidit, in se incuriosus committens, quæ ut cum cura caverent aliis fideliter inculcarat."

Gravissimum exemplum Rheumatismi vidi in homine, qui e publico Diversorio, ubi cum nox valde frigida erat, prope ignem sederat, et cum latere et dorso in eum versis, egrediens, dolore immani juxta junctarum ossis occipitis et vertebrarum colli, subito occupatus fuit; ita ut verebar ne cerebrum cito afficeretur. Sed sanguinis missione

aliisque remediis, paucas post horas salvus redditus fuit.

CAUSA PROXIMA.

Variæ opiniones de causa proxima Rheumatismi diversis scriptoribus datæ sunt, sed cum causæ proximæ omnium morborum lateant, nec hominum oculis vel mentibus percipi vel detegi possint, tempus amissum esset sequi theorias de ea Rheumatismi traditas. Facile est cuivis, cum talibus vanis commentis indulgeat, judicii veram sed lentam tutelam relinquenti et imaginationi suæ se credenti, structuram perpulchram aëream ædificare, qua theoriæ suæ morbi cujusvis nitidum imperium ponat; sed fato communi talium futilium figmentorum noscimus quam evanida semper erunt, et quod non modo usitatius prorsus inutilia sint, sed periculosa etiam, cum hominum mentes a vero nonnunquam ducere tendant.

SEQUELÆ.

Nunquam evenit quod suppuratio vel gangræna in partibus Rheumatismo affectis acciderit; sed sæpissime, cum diu perstiterit, debilitatem, paralysin vel immobilitatem musculorum locis affectis inducit, vel rigiditatem tendinum et juncturarum ligamentorum, cum gelatinosa materie in thecas aliasque vicinas partes secreta, relinquit; hinc sæpissime ex integro destruuntur, vel saltem multum impediuntur, artuum affectorum motus.

Cum hoc occurrat, Rheumatismus Chronicus oritur;—morbus maxime molestus, nam etsi raro vitam afficiat, tamen miseri ab hoc affecti qualibet tempestatis mutatione nonnunquam gravibus doloribus affliguntur; juncturæ affectæ sine rubore, frigidæ et rigidæ sunt; haud facile est in iis sudorem movere, vel si hic per totum corpus libere et calide fluat, in locis affectis frigidus et glutinosus manebit. Dolores harum partium

frigore augentur, et calore leniuntur; nulla pyrexia in Rheumatismo chronico adest.

Morbus similis nonnunquam post nisum violentem vel subluxationem oritur; tales statim ab injuria naturæ Rheumatismi acutæ sint, sed cito in chronici naturam mutantur.

CURA RHEUMATISMI ACUTI.

Ballonius, anno 1643, inter alia opera libellum edidit de Rheumatismo. Ille venæsectione sola sanandos hoc morbo laborantes putavit; et observavit, " Medicum invitari ad hunc modum curæ, quod impurus imo plane corruptus sanguis in eo affectu laxata vena trahatur *." Dixit etiam, " Laxitas cutis apprime facit ad curationem istius affectionis, sed ægrorum impatientia non permittit ut se facile lecto contineant. Ne minimam quidem stragulam aut operimentum præ dolore ferunt; et ob copiam et inflammatio-

* Vide Balonii Opera omnia. Genevæ, apud Fratres de Tournes, anno 1762, tom. iv. p. 352.

nem nescio quam toto corpore sparsam, vix ac ne vix quidem sudor manere potest." Pagina in eadem sequentia habet, "Laudamus quidem impendio magis phlebotomiam in hoc morbo quam saluberrimum esse remedium testamur. Enematum frequens usus valet; medicamenta per os sumenda nocent, inflammationem augent, et dolores in artubus et habitu corporis irritant; cassia et lenientia tamen omnino non improbamus; hæmorrhagia confert, sub finem sudores." Historiam dedit Comitis cujusdam nobilis, qui per sex integras hebdomadas Rheumatismo laboravit. Sanguis decies missus fuit, expertus est sudorifica absque commodo; tandem copiosa hæmorrhagia pene lethalis supervenit, et evacuato supra modum sanguine convaluit.

Sydenhamus de Rheumatismo acuto generali, et de lumbagine tractans, dicit: "Cum utraque hæc morbi species ab inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt phænomena, tum præsertim sanguinis venæsectione educti color, utpote qui pleuriticorum sanguini tam est similis, quam ovum ovo, neque quisquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit: his

inquam ita se habentibus, censeo ego curationem non aliunde quam a phlebotomia debere sumi. Sanguine interim contemperato, ejusque nimio fervore represso, tum medicamentis refrigerantibus, tum etiam conveniente regimine *."

Sanguinem ut primum accersebatur e brachio lateris affecti, ad uncias decem, mitti jussit. Die sequente tantundem, et postea ad quartam vel quintam vicem, intercalatis die uno, altero vel pluribus inter singulas venæsectiones repeti præcipiebat: existimavit anodynorum vel paregoricorum usum effusiorem sanguinis missionem necessariam reddere, et morbum ab his magis fixum fieri. Diætam ex hordeo, avena, panatella, et cerevisium tenuem pro potu, solummodo permisit; subinde enema e lacte sacharato injici curavit; diebus scilicet a phlebotomia vacuis.

Diebus ad minimum octo post ultimam phlebotomiam elapsis, potionem catharticum e lenitivis præscripsit, mane hauriendum; et insequente

* Vide Tomi Primi ejusdem editionis SYDENHAMI Operum, paginas 198, 199.

vespere, dosin paulo liberiorem syrupi e meconio, quo scilicet sanguinis orgasmus penitus reprimeratur.

Sed ex epistola responsoria ad ROBERTUM BRADY, medicum, apparet SYDENHAMUM postea minore copia sanguinem detraxisse quam antea assuetus fuerat in Rheumatismo; illic enim dicit: "In Rheumatismi vero curatione sæpenumero mihi subiit tecum dolere, quod non nisi ingenti vi repetitis venæsectionibus educta, ea possit perfici; unde non tantum ægri vires pro tempore franguntur, sed si paulo fuerit natura debilior, aliis etiam morbis ad annos aliquot obnoxius fere redditur. Cum post illos elapsos materia Rheumatismum prius committens, jam in pulmones depluat, ægro scilicet frigore perculso, vel alia aliqua πρόφασει leviori diathesis latens in sanguine, jam foras in actum protrudatur. His de causis experiri statui, an nulla alia methodus daretur a reiterata toties phlebotomia diversa, qua hic morbus posset debellari. Serio itaque perpendens, quod affectus iste (uti jampridem in acutorum historia subinnui,) ab inflammatione videatur oriri, quod tum cætera arguunt phænomena; tum

præsertim sauguinis e pertusa vena color, utpote qui pleuriticorum sanguini per omnia similis est; tandem vero simile esse judicabam morbum hunc diæta simplici, admodum refrigerante, et mediocriter nutriente, ægro imperata, æque feliciter atque repetitis venæsectionibus profligari posse; etiam evitatis quæ alteri methodo adjungebantur incommodis; neque me fefellit diæta e sero lactis, phlebotomiæ loco substituta." Dein casum sequentem dat.

"Progressa æstate pharmacopola mihi in vicinia, nomine Malthus, (vir probus et ingenio non vulgari), me accersebat. Rheumatismo autem misere cruciabatur, his symptomatis stipato: coxendice primo ad biduum claudicabat, exinde pulmones dolore tentabantur gravativo cum dyspnœa, quæ post aliud ferme biduum evanescebat; dein caput vehementer cœpit dolere, mox etiam coxendix lateris dextri, quæ omnium primo laborabat; posteaque, pro morbi indole, omnes fere tam brachiorum quam crurum articuli per vices molestabantur. Cum debiliori esset et sicco corporis habitu, veritus ne minus firmas jamdiu vires et labescentes, dempto copiosius sanguine pror-

sus exsolverem, (maxime cum æstas eo usque adoleverit, ut jam metus esset, ne superveniens hyems redintegrandis viribus frequenti venæsectione attritis intercederet,) imperavi, ut solò lactis sero ad dies quatuor vesceretur æger; quibus elapsis, præter serum lactis, pro victu ordinario panem similagineum concessi loco prandii, semel nempe in die, donec penitus convalesceret. Tenui hac diæta contentus, ad dies octodecim perseverabat, nisi quod postremis eorum alium insuper panem pro cœna indulgerem. Serum autem e lactis libris octo domi paratum quotidie insumebat, quo satis bene nutriebatur. Post hos dies, cum non amplius urgerent symptomata, et jam sub dio versaretur, carnes etiam permisi, pullorum scilicet elixorum, cæteraque ευπεπτα. Tertio autem quoque die solò lactis sero victitabat, donec tandem pancratice valeret; incommodis quæ supra memoravi hac methodo elusis, quibus decimo abhinc anno pessime excipiebatur. Venæsectione ex meo præscripto in curationis subsidium tunc adhibita, ac sæpe repetita."

Boerhaavius, in Aphorismo 1493, opinionem suam de curatione Rheumatismi his verbis

dat: "Causa proxima ejus videtur inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum, quæ ad ligamenta juncturarum, non tam sæva ut in suppurationem eat. Curatur missione sanguinis, purgatione antiphlogistica repetita, et semper vesperi per narcoticum sedata, balneo leni, tepido, fomentis antiphlogisticis loco affecto applicatis, vesicatoriis validioribus, et cauteriis, medicamentis summopere diluentibus atque emollientibus, simul victu tenuissimo, quiete, tepore lecti, et ad finem curationis frictione sicca, calida, una cum usu antiscorbuticorum."

Celeberrimus CULLENUS Rheumatismum in Ordine *Phlegmasiarum* posuit, et de eo tractans dicit: "Cura igitur poscit in primo loco regimen antiphlogisticum, et præsertim abstinentiam a cibo animali, et a liquoribus fermentatis vel spirituosis, et ut in eorum loco æger uteretur vegetabili vel lactea diæta, et multis liquoribus mitibus diluentibus. Venæsectio præcipium est remedium Rheumatismi Acuti. Sanguis debet detrahi magna copia, et missio sanguinis repeteretur secundum frequentiam, plenitudinem et duritiem pulsus, et gravitatem doloris. Usitatius

largæ et copiosæ sanguinis missiones per primos morbi dies videntur essæ necessariæ, et igitur mos est eas usurpare ; sed necesse est ut huic limites ponantur, nam sanguinis missiones valde largæ lentum ad sanitatem reditum faciunt, et si morbum non penitus tollant, inducere Rheumatismum Chronicum tendant." Ad talem debilitatem evitandam, dicit "quod sanguinis missio topica usurpetur, et præsertim si junctura rubore et tumore afficiatur. Dolor ejus tali missione leniatur, sed quum morbus a diathesi phlogistica totius systematis pendeat, plusquam ab affectione unius cujusvis loci, haudquaquam missiones topicas locum venæsectionis generalis suppeditaturus:" quinetiam dicit, " Etsi purgantia, præsertim mitia, utilia sint, tamen ea non æque diathesin phlogisticam amovere valere ac sanguinis missionem ; et quod cum morbus universus ac gravis sit, demissiones alvi frequentes incommodæ vel etiam noxiæ sint, nam propter motum dolores cient."

Ex opinionibus horum celebrium medicorum supra recensitis, sciamus illos totas spes Rheumatismum sanandi in sanguinis missione posuisse,

illosque Rheumatismum morbum naturæ vere inflammatoriæ esse existimasse: Sed SYDENHAMUM nonnunquam sanguinis missionem ex integro omitti voluisse.

Ex his viris præclaris, omnes fere opiniones de morbis curandis ad studiosos medicinæ, mundum per totum transiere; hinc non mirum fuit, ullam propositionem ut methodus curæ Rheumatismo mutaretur, maxima cum invidia recipiendam fore, præcipue cum cinchonam exhiberi proponeretur, cum male congrueret omnibus, quæ a primis medicinæ studiis de Rheumatismo tractando audiverant medici.

Sed nonnulli, et nominis non humilis, hoc remedio ausi sunt uti in Rheumatismo; et si fama vera dicat, non solum sine malo exitu, sed maximo cum beneficio.

JOHANNES HAYGARTH*, præcipue operam suam dedit, ut cinchona adhiberetur in Rheumatismo. Sequentem historiam ortus et progressus

* Vide "A Clinical History of Diseases, Part I. being a Clinical History of Acute Rheumatism, by JOHN HAYGARTH, M. D." p. 45. et seq.

ejus methodi cinchonæ usu Rheumatismum sanandi, in libro de hoc morbo, dedit: "Eximius ille medicus JOHANNES FOTHERGILL, quotannis multos per annos a tempore quo primum praxin medicinæ incipiebam apud urbem Chestrum, recedere solebat a laboribus professionis suæ ad domum *Lea Hall*, in comitatu *Cheshire*. Ibi sæpissime mihi occurrebat confabulatione ejus frui jucunda et perutili. Mihi permisit privilegium magnum ut illi narrarem dubitationes et difficultates quibus ego ut medicus inexpertus vexabar. Animo vere ingenuo, libere et generose, mihi ita consulenti sententiam et monitum dare solebat.

"Inter has visitationes anxius petebam ab illo, quid agerem cuidam tunc ægrotanti febre rheumatica; ille monebat ut cortex Peruviana adhiberetur. Ego fatebar me hoc consilium multum mirari, omnino diversum esse a methodo tractandi, quam didici a sagacissimis et doctissimis scriptoribus et professoribus, et semper me cinchonam maxime nocivam esse in omnibus morbis inflammatoriis ratum fuisse." Omnibus quæ objeci respondit: "Cum medicus juvenis essem, bis

evocatus e lecto ut ægros inviserem nocte quadam gelida, corripiebar febre rheumatica. Consilio medicorum amicorum sanguinis missiones copiosas et repetitas ad uncias septuaginta passus sum; morbus tamen quo afficiebar indomitus manebat, et sanguis detractus adhuc etiam crustam inflammatoriam ostendebat. Hinc certior factus fui, methodum hanc febrem sanandi evacuationibus tam largis errore strui. Cito postquam convalueram, accersebar ut ægrotantem Acuto Rheumatismo inviserem. Meo rogatu Ed. Hulse, Eques Aur., tunc temporis medicus maximi Londini nominis, in consilium ducebatur, ille proponebat ut præciperemus corticem Peruvianam, et huic ego volens assentiebam, quia analogiam quandam esse inter febrem intermittentem et rheumaticam existimabam. Morbo in utroque urina sedimentum simile lateritium deponit. In intermittentibus æque ac rheumaticis febribus, sanguis missus tegitur crusta inflammatoria. Dolor et Febris Rheumatismi quodammodo periodice, etsi non penitus regulariter, paroxysmos et remissiones habent. Inter hoc consultandum cum Ed. Hulse, Equite Aur., cin-

chona adhibebatur tam evidente cum commodo, quod jam inde semper eandem methodum usurpavi in Rheumatismo, et tibi ejus usum commendo, haud obstantibus omnibus legibus a Medicinæ Professoribus traditis." Ab eo tempore sæpissime J. HAYGARTH, cinchonam in Rheumatismo optimo cum eventu exhibuit, et dicit: "Post multorum annorum experientiam, nullam causam se habuisse quare hujus remedii usus pœniteret."

In pagina nonagesima, sequentia habet: "Cum febris rheumatica tractata fuerit venæsectione, hirudinibus, sudorificis, &c. omnibus bene notum est, dolores juncturarum affectarum et musculorum sæpissime per menses vel etiam annos ægrotos affligere. In meis Clinicis Observationibus tale quicquid haud invenio, et ego jure multum persuasus sum, cinchonam ex integro impedire ne Rheumatismus Chronicus ex Febre Rheumatica, ut sequela oriatur.

GEO. FORDYCE, in Tractatus Tertii de febre parte prima, sequentia habet, de cinchonæ usu in Rheumatismo loquens: "Cum medici solerent inflammationem generalem sanguinis missione

amovere, metastasis sæpissime in interiora corporis occurrebat, et ægrotum necabat. Hoc in auctoris praxi per annos quindecim ultimos rarissime accidit; totum per hoc tempus venæsectionem omisit in Rheumatismo Acuto; et non amplius quam duos vel tres amisit, etsi quadringentos vel quingentos Rheumatismo tractaverat."

HEBERDEN, in Commentariis suis, de Cura Rheumatismi loquens, dicit: "Quantum ego ex observationibus colligere potui, commodum copiosarum et repetitarum sanguinis missionum, haud plane certum et fide dignum est: Unus ex casibus pessimis Rheumatismi, quorum memoriam habeo, statim post copiosissimam e naribus hæmorrhagiam, tamdiu perstantem ut exsanguis pene inde redditus vix cum vita ægrotus evaserat, incipiebat. Et tale quoddam altero in casu accidit."

Cum primum de cinchonæ usu in Rheumatismo audivissem, haud dubius eram quin tale experimentum maximo periculo plenum esset. Sed nunc et iterum fama boni eventus ex hoc remedio ad me perveniente, tandem ad cinchonam ex-

hibendam trahebar, et quo exitu sequente ex historia discatur.

D. K. ætat. 35. robustus, plethoricus, temperamenti sanguinei, et ut Diversorium habebat satis plena et nutriente diæta vivens, diem circiter sextum post Rheumatismi impetum me accersivit. Hic sæpe ab hoc morbo multum antea laboraverat, et anno præeunte lecto per sex septimanas ab eo affixus erat. Inveni illum Rheumatismo satis acuto affectum, cum pulsu pleno, frequente, calore cutis magno, sudore, rubore faciei; et doloribus, pectus, latera, dorsum et artus afficientibus. Post medicamenta ad alvum solvendam data, decoctum cinchonæ exhibui; et hoc nil incommodi ferente, pulverem decocto addidi. Hujus remedii usu, cum lenibus catharticis nunc et iterum sumptis, intra tres septimanas a morbi impetu convaluit.

Hic idem vir anno subsequente eodem morbo affectus, quædam purgantia medicamenta cum hygrargyro sumpsit, quibus ptyalismus inducebatur. Dein meum auxilium petebat: Ptyalismo cessante febris rheumatica ingravescebat, et eo-

dem modo ac olim tractata, cinchonæ scilicet usu, paucos post dies subacta fuit.

Si in Rheumatismi decursu metastasis in cor, cerebrum vel pulmones occurrat, morbus inde sequens omnino tractandus est, communi medicorum consilio, eodem modo ac si inflammatio visceris affecti, quavis alia ex causa oriretur; insuper forsitan his casibus miseris utile esset balneis calidis, cum sinapi seminibus, similibusque infusis, sæpius uti.

In Rheumatismo Chronico varia remedia usurpantur. Balnea salina, calida et frigida, nonnunquam utilia sunt; stimulantia vesicatoria, moxa, sæpe levamen dant.

Sudorifica, sicuti Pulv. Ipecac. C. Antimonii præparata; Submurias Hydrargyri cum Opio, nonnunquam multum commodi ferunt. Guaiacum multum laudatur; et Tincturam ejus ammoniatam, sæpissime utilem esse novi.

FINIS.